



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Instantia Promotorum pro Indictione futuræ Synodi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

ac sollicitudinis studio inflammator sit, ad omnem Ecclesiasticæ disciplinæ rectam cumulatamque executionem perpetuamque obseruantiam.

Lecta quæ sunt monita executionis decretorum de suggestu, quæ habentur in volumine supra Synodi xj.

His ordinè sic absolueis, Illustriss. Archiepiscopus de more antequam hic Synodalis conuentus dimitteretur, sequentem Synodum, nempe xij. indici mandauit, præuia instantia promotorum.

Instantia promotorum pro Indictione futuræ Synodi.

Illustriss. ac Reuerendiss. Pater & Domine in Christo.

**A**ntiquo Canone, & decreto prouinciali, & Synodali item cautum est, proximam Synodum diocesanam in sessione indici: ideo pro muneris nostri ab Illustrissima amplitudine tua nobis demandati ratione, humiliter instamus, & petimus, Synodum dioces. xij. futuram in hoc Synodali conuentu, omnibus qui interesse debent, pronuntiari, & indici.

Tum lectum est Decretum Indictionis, ad præscriptam formam.

Decretum de indictione uisitationis.

**V**eteris, & laudatissimi, cum disciplinæque Ecclesiasticæ ratione atque usu conuenientis instituti illud est, antequam Synodus dimittatur, clero uniuerso qui præsens in Synodo est, aliqua edicta, quæ anniuersariis actionibus perpetuis præstanda sunt: edicimus igitur omnium & singularum regionum cleri uisitationem, quam omnes, singuliq; uisitatores nostri in sua quique regione diligenter obeant, atque adeo præsent ad præscriptum monitorum, quæ diligentioris executionis causa in hac Synod. xj. edidimus. Omni igitur studio in omnes partes ad rectè exequendi usum excitato ita se gerant, ut nullam eorum negligentiam, cuius nobis aliquando ratio reddenda est, animaduertamus; sed diligentiam præstantissimam, cuius fructus in omni recta executione consistet,

nos in Domino commendemus.

Indicta uisitatione, audientia, quam Synodo absoluta Illustrissimus Archiepiscopus, Vicariis, & aliis diocesanis dare solet, indicta est.

Decretum de indictione publicæ audientia.

**V**icariis foraneis hodie à prandio audientiam indicimus, & iis quoque omnibus & singulis, qui aliquid habent, quod nobiscum, aut cum ministris nostris agant. Illis etiam, quibus à uisitatores, Præfictiue scrutini, & vicariis foraneis iussum est ad nos venire.

Demum Illustriss. D. Archiepiscopo de more orationem publicam, quæ in urbe, & diocesi fieri solet, in fine Synodi indici & promulgari iussit.

Decreti formula habetur supra in Synodo 7. dioces. pag. 80.

Cum omnia in hac xj. Synodo agenda & tractanda, Diuina auxiliante clementia ad optatum finem perducta essent, & cum iam hora esset tarda, ut de more ritè rectèque Synodus dimitteretur, Illustriss. Archiepiscopus suggestum ascendit, & iterum clerum allocutus est.

Absoluto sermone, pulsatione solenni campanarum, inchoata est processio de more, eundo per ambitum, & extra Ecclesiam: & dum clerus regionatim & collegiatim ad processionem dirigeretur, Tabellarum acclamationum facta est distributio. Postea uero quam clerus uniuersus rediit, denuo suis locis conseruerunt, & facto silentio, in oratione mentali certis capitibus enunciatis per Reueren. Archidiaconum, Illustriss. D. Archiepiscopus, & clerus uniuersus, quasi per horæ dimidium perstiterunt.

Oratio mentalis die 3. Synodi.

**I** Fratres carissimi: Conuersi ad Dominum, puro corde oremus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur. Et quia imperfectum nostrum quod in Synodi celebritate admisimus, uiderunt oculi Dei; ad miserationis diuinæ remedia confugiamus, hocq; frustrati precemur, ut ignorantia nostræ parcat erratis; & negligentia etiam,

M 4 quam